

conantur persuadere, verum et persuaserunt ita, ut nec dubitare, neque hiscere audeamus contra. Astrologos dico, et qui eos secuti sunt physicos. Tanta enim magnitudine firmamentum faciunt, et tantum eius circuitum in extima circumferentia, ut æquator eius, si XXIII horis debeat circumvolui, necesse sit, tanta eum velocitate ferri, ut unius horæ spacio, ea millia passuum quam diximus, 42398437 circumvoluantur. Quam velocitatem, superaddunt, si posset avis quæpiam consequi, et circa terram volaret sub æquatore, una tantum hora totam terram circuiret 1884 vicibus. Qua re, impossibilius, aut incredibilius excogitari potest nihil. Longe maior sequetur impossibilitas, si computetur motus, nonæ, quam finxerunt sphæræ quæ firmamentum eo circumagat modo; et ipsa motu eodem circumlata a sphæra decima, quæ et ipsa moveatur, et reliquas omnes, secum rapere, et circumferre dicitur. Longe ergo nos, et possibilius, et facilius, et credibilius, supra docuimus, æthera ac cælum, non moveri, quia sit cum Empyreo immobili, continuatum corpus. Sed esto, cæli ea pars, quam modo firmamentum appellavimus, sit immobilis. At sidera quæ in eo habitant, nonne videntur, circulo moveri? Si circulo revera moveantur, nonne idem sequetur impossibile, ut eadem hora una, eadem millia passuum 42.39.84.37. conficiant. Quid ergo, quia hoc sit impossibile, impossibile quoque fuerit stellas in circuitum revolui? Profecto, ut impossibile hoc vel fugemus, et fugiamus, vel demonstramus sidera vere moveri, ratio aliqua est quætenda, quæ utrum libet horum nobis persuadere queat. Una hæc esto. Non esse sidera, omnia in convexa cæli superficie, seu uti nos docuimus, in nulla ibi superficie sunt cum nulla ibi sit, sed neque omnia tam longe a nobis sunt collocata. Sed tota cæli crassitudine sunt sparsa, hæc vicinius ad nos, illa longinquius. Crassitudo aut cæli huius, ex eorum computis millia est passuum 809424.71 et amplius. In tanta igitur crassitudine, quæ sidera sunt sparsa, necesse est, non eadem velocitate moveri omnia, sed varia prout, vel summis, vel infimis sunt proximiora. Quæ enim eodem tempore minoraspacia obeunt, tardius moventur; quæ vero maiora, velocius. Quod et Physici, et Astronomi, et fatentur, et afferunt. Non ergo omnes stellæ ea tot passuum millia, hora una movebuntur. Sed quæ nobis sunt proximiores longe conficient pauciora. Sed non adhuc tollitur dubitatio. Nam quæ longissime a nobis distant, si vere moventur, non poterunt illud impossibile non subire. At impossibile nullum admitti potest; et ex earum motu oritur, impossibile ergo est illas moveri. Ergo non moventur. Vel illæ quidem supremæ immotæ permanent? Viciniores hæc moventur. At apparent moveri cunctæ, quia semper eodem tempore ad idem redeunt, et eandem servare inter se videntur distantia. Quid ergo apparentia tantum est hic motus? Nam et alias apparentias adducunt astronomi, in quibus sensum nostrum falli autumant; ut in innumero illo stellarum, quæ hyeme cælo sereno apparent numero. Et quando Sole Oriente, aut terra, aut mari, in horizonte, non curva, sed recta linea secatur, aiunt visum in eo decipi, sicuti etiam in cæli illa, quam ostendimus camera, et in aliis pluribus. Quid igitur dicemus, hunc siderum motus apparentiam tantum esse, an vero, revera eas moveri? Si moveri negemus, multo sensu fallimur. Sin e contra, moveri eas fateamur, impossibilia illa uti possibilia admittimus. Qua igitur ingrediemur via, ut id dignoscamus?

Tentemus, si possibile sit, terram movere, et vetustissimorum Nicetæ Siracusani, Philolai, inter Pythagoreos facile principis. Et de eadem schola Heraclidæ, et Ecphanti, et Seleuci Mathematici, et Aristarchi Samii, quorum authoritas, Aristotelis et Ptolemei authoritatem facile obruat. Quibus accedit nostræ ætatis Astronomus summus Nicolaus Copernicus, qui omnes cælum sidereum stare simul cum stellis, terram vero moveri autumarunt. Si igitur tanta hæc controversia, huius motu possibili conciliari queat, est omni diligentia perpendendum, et quæ impossibilia ex terrame motu orientur pervidendum. Sed ante omnia hac utamur divisione. Quoniam stellæ circulo moveri videntur, necesse est, eas vel cælo infixas, ab eo circumferri, vel ipsas per se, in circuitum sese circumferre, vel terram nos rotatu, suo circumferre in gyrum. De tribus autem hisce modis, primus prorsus impossibilis videtur. Secundus vero quo ad suprema sidera impossibilis. Quo vero ad media,